



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

52. De loco & anno Martyrij ipsorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Appulit Ewaldos violento gurgite Rhenus  
Quos lux alta vehit, huc, vbi fons scaturit.

Infinuant enim 1. Ewaldorum corpora ab interfectori-  
bus in amnem proiecta desisse vehi flumine procul à Co-  
lonia. 2. Pipinum postmodum iussisse corpora ad se adduci  
eaque sepelisse Colonie in templo S. Cuniberti iuxta Su-  
rium & Lippeloo; non itaque miraculose Coloniam vs-  
que deuecta. De iisdem scribit Warnherus Roleuinc Car-  
thusianus Colonienfis in Fasciculo temporum: *Ewaldi duo  
sancti presbyteri predicationis gratia de Anglia venerunt in West-  
faliã; & in villa suis precibus fontem de rupe traxerunt: & cam-  
pum sanctum sic dictum usque hodie consecrarunt in usus pauperum  
vbi saepe mira contigerunt contra testamentum sanctorum volentibus fa-  
cere & horribiliter plagati sunt Et vocantur ibi vulgariter Domini  
nostri de sancto campo vel prato.* Idem libro de laude Westphalo-  
rum non dubitat parochiam Laer primiceriam Westphalie  
vocare, eo quod certa supersint argumenta vnde constet S.  
Ewaldos ibi Apostolatum suum Westphalicum inchoasse.

#### DISSERTATIO LII.

De loco & anno Martyrij ipsorum.

**M** Arcellinus hæc recitat: *Duo quidem S. Ewaldi Na-  
biam introeuntes, Christum predicando confessi sunt qui  
ab inde ascēdentes in Saxoniam glorioso martyrio coronati  
sunt. Quid, vbi Nabia sit & quo pertineat, à doctis  
viris (inquit Molanus) ignoratur; Forsã & ibi cor-  
ruptus est Marc. Admisso textu mihi diu cogitãti occurrit  
apud Tacitum l. 5. Hist. in fine Nabalia fluius qui facē per  
opaca fors præferet. Fuit is circa fines Westphalorum, Cliui-  
orum*

orū & Geldrorum non longè à Rheno, vt Rura vel aliquis ei vicinus; ac non incredibile sicuti à Mosa Maeslandia, pagus Masus, ab Albi Nordalbingia, à Rheno Rhinlandia, ita à Nabalia fluuio certam terrę portionem Nabalia amne rigatam Nabaliam nuncupatam, & per syncopen Nabliam aut Nabiam in quam primò, siue ex Austrasia siue ex Frisia Ewaldi descenderint, inde in Saxoniam siue Westphaliam ascendentes. Scio magnum Lipsium in notis ad Tacitum loco Nabalię malle legere Wahalis fluuius. Sed quid obest nostram opinionationem in symbolum conferre?

Hoc sic liberaliter explicato, de loco martyrij duæ discrepant sententiæ. Vna habet martyrium subijssse ultra Vifurgum in Comitatu Hoyensi sub Diœcesi Bremensi. Ast dissonat V. Bedæ referenti occisores Sanctorū corpora proiecisse in Rhenum; abest verò longissimè Rhenus à Comitatu Hoyensi. Deinde apparet eorum Martyrium contigisse in primo ingressu siue ex Frisia, siue ex Austrasia in antiquam Saxoniam, quo nomine Westphalia intelligitur, eratq; eis primò occurrens. quare Satrapam primū conuenire quærebant vt liberius in interiora Saxonie pergere sine iniuria valerent. Sed si in Hoyensi Comitatu intercepti essent, iam ingentem partem antiquæ Saxonie emensi per multos Barbaros ed peruenissent. Altera tradit eos occubuisse prope Tremoniam in Appellarbeke vbi celebris est eorum cultus cum miraculorum testimonio. Et hæc mihi verisimilior quod ibidem riuus sit cuius aquæ Rhena nis commiscetur ac non immeritò Rheni nomen participare possit, vt Imfchar (Ems) Tremoniam alluens.

Quantum ad annum, Wernherus Roluinc lib. de laudibus Westphalorum statuit occisos anno 700. Quod ipsi argumentum sit, non vidi. In communem ego sententiam libentius abeo, obijssse anno 693, Est Sigeberti, Baronij, Mi-

raei Hargi, Balduini Iunij, Zacharię Lippelo, Rosweidæ &c. à quibus non sunt censendi differre qui anno 694. nam inchoatos semper annos sumunt alij cum alij tantum perfectos. Aliud etiam his est initium & exitus anni quam alijs. Imo ipse pater Roleuinc in Fasciculo temporum martyrium eorum collocat inter annum 690. & 700. proxime ad annum 693. quamuis nō determinet præcise definitum. Quadrat aptissime noster calculus contextui V. Bedæ cuius planities omnino declarat, non longe post profectioem S. Willibrordi ex Hibernia illos secutos, ac in primo introitu in antiquam Saxoniam internecone ab iniquis vicinis deletos nullo notabili fructu edito. Cum ergo vel cum Sancto Willibrordo soluerint in Frisiam, vel quod magis approbamus & Bedæ existimamus esse, secuti sunt anno 692. vel 93. sequitur eos eo tempore occisos. si enim vsque ad annum 700. vel in Frisia, vel in antiqua Saxonia moram traxissent, cur de eorum laboribus, fructibus exhibitis, de conuersione aliquorum populorum Beda vel alius Author ne verbum diceret? Cur ne quidem in generali tale quid commemorarent? cur tam oscitanter illorum sudores præterirent? si quæ in transitu legantur patrasse, illa diutinam moram non desiderarunt. Quinimo dum narrat Historia ad propositi sui executionem Satrapam tamquam pagi rectorem conuenire voluisse, & in ista petitione seu conatu morte statim interceptos fuisse, insinuat nullum notabile lucrum ab ipsis factum: voluntatem promptam fuisse, inuidiam diaboli obstaculum creasse. P. Wernherus videtur nixus Marcellino cap. 10. quo recitatur Ewaldos anno 695. cum S. Suiberto ordinando in Britāniam indeq; Hiberniam iuisse sub pollicitatione redeundi ad Frisiam. Sed quanti ponderis Marcellinus ille sit, dudum librauimus & saepe sæpius librabimus. Sacra eorum pignora Coloniae

loniæ in templo S. Cuniberti magna sunt in veneratione; quæ S. Anno Archiepiscopus aliquando decentius transfuit, ac nouissimè situ & obliuione pœnè sepulta Sanctissimus Patriarcha noster Norbertus præuio ieiunio & orationibus in splendorem rursus reduxit vnà cum corporibus S. Gereonis & Vndecim millium virginum.

## DISSERTATIO LIII.

De destinatione S. Swiberti ad Episcopatum.  
Refutatur Marcellinus.]



Postquam Apostoli nostri graui industria gratia diuina cooperante plurimam fidelium turmam Christo lucrificissent in diesque numerus aueretur, visum eis fuit necessarium Episcopum creari, qui Neophytis Sacramentum cōfirmationis impenderet, Ecclesias consecraret, reliqua Ecclesiasticos ritus, populi Clerique gubernationem concernentia administraret. De hoc consulto eiusque executione sic Marcellinus cap. 10: *Deniq; crescente quotidie numero fidelium, predicantibus cum magna deuotione prefatis predicatoribus, & credentibus gratiam baptismi quicumque ex eis erant sacerdotali gradu præditi ministrarent: nec Ecclesias consecratas haberent ad quas populi conuersum conuocare & diuina celebrare & complere possent: communi decreto omnium confratrum & Neophytorum duos ex eis Episcopos consecrandos elegerunt, qui populo Frisonico præessent verbo predicationis & Ecclesias dedicarent & ordines sacros celebrarent, utpote S. Willibrordum inter omnes merito præfulgentem, virum humilem & totius honestatis exemplis refertum. & S. Swibertum*